

lus, aut profiteri velit, manifestum est apud omnes, nullam restitutionem faciendam. Quod iam prius matrimonium, quod consummatum non erat, dissolutum sit per professionem, aut per illam dissolui possit, cap. ex publico, de conuers. coniug. Atque ita in hoc euentu deciditur. c. fraternitatis, de frigid. & malef. & docent omnes allegandi cum Glossa ibi. verb. remaneat. Est tamen maximè attendendum, an virgo illa, quam Ecclesia arctam iudicauit, & nunc experientia inuenitur apta priori viro, salua integritate receperit semen illius prioris intra vas, quacunque arte, aut matrice atrahente, tunc enim cum consummatum iam fuerit, minime dissoluetur professione. Quod bene aduertit Henriquez lib. 12. de matrimon. cap. 7. in commento penultimo. Quod si reuera femina ita arcta sit, aut vir ita debilis, aut calidus, vt non possit eum femina hac coire, vt semen intra vas emittat, sed foras fundat: in quo casu quando hoc iudicatur per petuum, & immedicabile impedimentum, diximus disputat. 92. num. 7. & sequentibus, matrimonium esse nullum, mihi persuasum (quantis in nullo auctore inuenierim) adhuc esse verè irritum, & proinde non consummari, licet arte aliqua abque viri penetratione sit receptum semen intra vas, aut per matricis attractionem. Quia valor matrimonij non pendere potest ex casu raro, ac fortuito. Deinde, quia verificatur virum illum esse impotentem ad feminandum intra vas. Et aliàs nunquàm hæc impotentia posset dirimere matrimonium: contra Doctores ibi allegatos. Quippe semper potest semen illud saltem vase aliquo vitreo receptum, intra vas femineum immitri. Casu autem quo professione non dirimitur hoc matrimonium, dicendum erit de hoc professo idem, quod de constituto in sacris dicemus, num. 39. & 40.

38 Et si coniug. relictus in seculo ad aliud transisset matrimonium, aduertendum maximè est, an matrimonium inierit ante, an post alterius professionem: si enim post professionem, valebit, quantis constat postea impotentia filtras, ac subinde valor prioris matrimonij. Secus si ante professionem: tunc enim hoc posterius matrimonium erit irritum, nisi altero ià professo, perficiatur nouo consensu, cognita eius nullitate. Ratio est clara, quod in priori euentu, primum matrimonium quod verè validum fuit, dissolutum sit profes-

ne, & ita obstat nequit valori secundi matrimonij: at in posteriori, cum dissolutum non fuerit, impediuit valorem secundi matrimonij. Quod optime animaduertit Petrus de Ledefma de matrimon. quaest. 58. art. 2. dubio 1. conclus. 7.

Quando autem vxore manente in seculo vir iam sacris est iniuriatus, fatetur omnes detecto errore sententia, que prius matrimonium dissoluit, virum restitutum esse vxori repetenti. Quia matrimonium non est dissolutum. Sic tradunt Albericus in suo dictionario, littera D. verb. diuortium. Astenfis. 2. part. summa, lib. 8. tit. 29. art. vnico. quaest. 6. Supplementum Pisanæ. verb. diuortium. num. 7. & ibi Rosella. num. 6. Syluest. quaest. 21. num. 24. Henriquez lib. 12. de matrimon. cap. 8. num. 3. Petrus de Ledefma de matrimon. quaest. 58. art. 2. dubio 1. Limitat bene Henriqz, nisi vxor fornicata esset. Quia tunc ratione fornicationis, si vir esset innocens, posset illam repellere. Secundò limitat eodem cap. 8. num. 3. in commento, littera L. nisi impedimentum esset ex maleficio, & transacto triennio, ac alijs diligentis premissis, facta esset matrimonij dissolutio. Tunc enim quantis experientia conslet iam maleficio cessasse, non restituetur vir in sacris constitutus vxori repetenti. Sed hæc limitatio non placet: eò quod nullo iure probetur. Sicut nec approbauimus num. 22. quod idem Henriquez cum alijs censuit, non posse dissolui aliud matrimonium ab hoc maleficio initum. Quod si vxor non reperat virum, nequibit vir ad ipsam redire. Cum per ordinem sacrum sibi praeiudicari. Ita docent Albericus, Supplementum Pisanæ, Rosella, Syluest. ibidem. Subdit Petrus de Ledefma proximè allegatus, vxorem nolentem repetere hunc virum, sed separatim viuere, teneri vovete castitatem. Sed mihi displicet: nec video eur ad hoc teneatur femina. Quod textus hoc votum petens in vxore cap. coniugatus, de conuers. coniug. Solum hoc petit, vt vir de consensu vxoris legitime ad ordines sacros ascendat: at cum ipse ascendit iam, nullus textus id petit, quantis vxor sua libertate vtens nolit ipsum repetere.

Atq; vir sic restitutus vxori tenetur reddere debitum. Quod illa iure coniugali priuata non sit. Atq; ita fatetur Ricardus 4. dist. 3. art. 3. quaest. 2. ad 3. Astenfis 2. p. summa, lib. 8. tit. 29. art. vnico. quaest. 7.

Rosella,

Rosella, Supplementum Pisanæ, Syluest. num. præcedenti allegati. Sed an possit is vir petere, non eueniunt Doctores. Nam aliqui auctores, quos tacito nomine referunt Ricard. & Astenfis ibidem, sentiunt integrum sibi esse petere: & eorū opinio nem videtur sequi: cum eam in vltimo loco referant. Quia ille ex falsa vinculi con-

iugalis existimatione solutionis, ad ordines ascendit, vtoq; se atrinxit. At tendendum est, non posse petere. Quia is error fuit circa causam impulsuam, & ita non vitiat. (vt latius probabo lib. 10. disputat. 9. num. 23.) Atque ita docent Supplementum Pisanæ, Rosella, Syluester num. præcedenti allegati.

DISPUT. CENTESIMA.

An si sententia dissolvens prius matrimonium, bis confirmata sit: aut ab ealegitimo tempore non sit appellatum, retractanda sit comperito errore: & quo remedio: ac coram quo iudice, & ita sententia in causa matrimonij non transeat in rem iudicatam?

SUMMARIUM.

Sententia matrimonij, siue bis confirmata, siue lapsa termino ad appellandum, nunquam transit in rem iudicatam, sed cõperito errore retractatur: & de huius ratione discutitur. num. 1.

In sententia matrimonij, & alijs, qua non transeunt in rem iudicatam, potest transacto appellandi termino, probari iniustitia cause, tam ex meritis eius, quam ex ordine processus. num. 2.

Index ex officio potest parte inuita retractare dictam sententiam. num. 3.

An possit retractari per appellationem, an per solam querelam? num. 4.

An possit audiri impugnans hanc sententiam, abique cause cognitione, & citari debeat pars, & si index non premitat causa cognitionem, possit appellari: & in dubio an causa sit iusta, possit audiri? num. 5.

Quoties audiendus sit volens prædictam sententiam impugnare? num. 6.

An presumptio pro sententia illa à qua appellatum non est, existat: & alleganti iniustitiã, incumbat onus probandi? num. 7.

An quoad instantiam causa transeat sententia in causa consagali in rem iudicatam: ita, vt nouo libello, nouaq; querela vtendum sit? num. 8.

An hæc noua querela possit coram vrbiepisopo, inter subditos Episcopi suffraganei proponi: & coram quo iudice proponenda sit? num. 9.

An possit coram Archiepiscopo de retractione huius sententia agi, si eius nullitas, seu principaliter, seu incidenter proponatur? num. 10.

An sententia hæc transeat in rem iudicatam,

quoad expensas, quarum condemnatus est succumbens in priori sententia? num. 11.

An transeat in rem iudicatam respectu tertij opponentis contra valorẽ matrimonij? num. 12.

An transeat in rem iudicatam in sponsalibus: & in matrimonio quod nouo consensu contrahi legitime potest? num. 13.

An quando sententia lata est in matrimonij fauorem, transeat in rem iudicatam? num. 14.

An transeat, quando coniug. allegauit portetia deficiã in genere, & succubuit? num. 15.

An sententia diuortij transeat in rem iudicatam? Remissioe. num. 16.

Premittendum est, id in matrimonio speciale esse, vt sententia in coniugali causa lata, quacumq; circumspessione præmissa, siue bis ab ea prouocatum fuerit, confirmataq; sit, siue lapsus terminus ad appellandum sit, nunquam transeat in rem iudicatam, ac proinde non ita efficacem autoritatem sortitur, quin retractanda sit, quoties comperitum fuerit, eam errore quodam latam fuisse. Constat ex cap. lator, de sentent. & iudic. ibi: Mandamus quatenus si vobis consiteris eos per iudicium Ecclesie non fuisse legitime separatos, Ecclesiamq; acceptam, ipsos faciatis sicut verum, & vxorem in sinu permanere. Idem decernitur cap. cõsanguinei, & cap. tenor, eodem tit. & cap. fraternitatis, de frigid. & malef. Et ita docent Anton. eo. cap. fraternitatis, num. 32. & ibi Abbas num. 21. Præpos. nu. 19. Alexan. de Neuo ibi. §. quantis, nu. 26. Idem Anton. dist. c. lator, nu. 8. & ibi Alexan. de Neuo nu. 11. Decius nu. 5. declaratione 4. Inola nu. 7.

verfic.

vers. item videtur: & Clem. 1. nu. 1. de sentent. & re iudic. dem Alex. de Neuo. d. c. consanguinei. nu. 15. Idem Decius cap. sua. ampliatione 4. nu. 16. in noua editione, de appellat. Francus rubrica de appellat. nu. 30. & c. Nicolaus ad finem, eodem tit. Co. narr. 4. decret. 2. p. c. 8. §. 12. num. 12. in initio. Et quoniam Glossa. d. c. fraternitatis. verb. fornicario, in fine, quam trāscritbit Monaldus summa, tra. c. de matrim. tit. de impossibilitate coeundi quid sit, colum. 3. videatur contrarium sentire, ait enim in matrimonio triplicem tantum sententiam esse ferendam, nec tertiū appellare licere: vnde videtur transire in rem iudicatam, quando duplici sententia est confirmata. Et ita quasi hoc sententem impugnat Antonius eo. c. fraternitatis. nu. 32. At re vera non sentit contrarium: sed tantum vult trāscire in rem iudicatam, ad hunc sensum, vt per viā appellatiōis nequeat amplius retractari, sed per viam querelæ. Quod verissimum est, & nos dicemus nu. 4. Et ita intelligit Glossam Abbas eo. c. fraternitatis. nu. 21. Præposit. nu. 19. Alexander de Neuo. §. quantus. nu. 26. Ratio autem cur sententia hæc non transeat in rem iudicatam, lapsa ad prouocandum termino, aut bis confirmata: atq; ita rescindi valeat, cum contrarium in se omnibus alijs sententijs contingat, communiter traditur. Quod in reliquis sententijs consensus omittentis debito tempore appellare, possit aliquid operari: ac ed ipso quod non appellat, videatur cōsentire. Ex quo cōsensu sententia vires rei iudicatæ assumit. c. quoad cōsultationem, de sent. & re iudic. ibi: *Cum per hoc videatur per interpretationem iuris lata sententia paruisse.* At in causa coniugali nequit consensus omittentis appellatiōem, efficere, vt matrimonium cum impedimento dirimentium sit validum: vel vt legitime contrarium dissoluatur. Quare sententia per errorem decidens illud esse validū, vel hoc dissoluendū, nulla ratione assumere potest vires rei iudicatæ: siue quod bis confirmata sit, siue quod ab ea non appellans cōsentiat consentire. Quia sententia illa transiens in rem iudicatam, foueret peccatum, separando veros cōiuges, vel vniendo eos, qui tales esse nequeunt. At nullum vinculum quantumcumq; multiplicatum potest firmare actum, ex quo peccatum confurgit. Sed aduersus hanc rationem pugnat fortiter duplex obiectio. Prior, quod sententia pœne corporalis damnans, à qua non ap-

pellatur, transeat in rem iudicatam, ita vt reuocari nequeat comperta rei innocētia, nisi ex speciali Principis indulgentia. l. ad finem. ff. de quaestione. l. diui. ff. de pœnis. Cū tamen pœna mortis nemo assensum præstare possit. l. liber homo. ff. ad l. Aquilianam. Nemo enim propriæ vitæ dominium habet. Posterior obiectio est, quia omittēs appellatiōem non censetur cōnuere sententiæ: vt aperte probat textus in cap. cōcertationi, de appellat. in 6. vbi deciditur, ei, qui à sententia nō appellauit, integrum esse contra eam alijs remedijs agere, nisi in eam consenserit. Ergo ex sola appellatiōis omissione non desequitur consensus in sententiam. Sed vtrique obiectiōi egregiè satisfaciunt Couarr. 4. decret. 2. part. cap. 8. §. 12. num. 16. & duplici sequenti. Priori sic respondet, quauis expressus consensus nil operetur, vt possit quis corporaliter puniri: at tacitus consensus, seu potius patientia ea, qua non appellans sinit sententiam transire in rem iudicatam, ei valde nocet, iure sic disponenti. Posteriori verò sic satisfaciunt. Non appellans censetur tacite consentire, admixta ipsius legis auctoritate id præsumens præsumptione iuris, & de iure, non ad omnes effectus, sed ad hūc, ne amplius de illius sententiæ iniustitia ex rigore discuti possit: non tamen ne alijs remedijs ad varios effectus sibi competentibus vti valeat, nimirum, vt iudicium illud nullum esse constet, vel vt iudicis iniquitas puniatur.

Atque in his sententijs non transenti-
bus in rem iudicatam potest probari iniustitia sententiæ, tam respectu meritorum
causæ, quam respectu ordinis processus per
acta causæ, quauis transierit decendum à
tempore sententiæ. Sic Abbas. cap. lator,
num. 5. de sentent. & re iudic. & ibi Alexan-
der de Neuo. num. 4.

Potest etiam iudex ex officio parte in-
uita procedere ad retractandam huiusmo-
di sententiam, vbi de errore certior factus
fuerit. Quod bene docet Cardin. cap. lator,
num. vnico. vers. in Glossa finali, de sen-
tent. & re iudic. Et constat ex cap. porro,
ad finem, de diuort. ibi: *Tui officij interest
matrimonia illa adhibita gravitate dissolueri,
qua illicitè contracta sunt.* Imò ad id te-
neri iudicem probat hic textus. Quia sua
interest, peccata auferre. At grauissimum
est, illegitimè coniunctos, in matrimonio
perseuerare: aut legitime coniunctos sepa-
rari.

Intel-

Intellige tamen primò non transire in
rem iudicatam sententiā matrimonij à qua
decendit appellatum non est, vel duplici
sententiā confirmatam, ad hūc sensum, quin
per viam querelæ possit contra eam allegari.
At assumit auctoritatem rei iudicatæ, vt
pretextu appellatiōis corrigi nequeat. Et hoc
est quod tradit Glossa. cap. fraternitatis. verb.
fornicario, in fine, de frig. & ma. les. vt eam
intelligit, ac sequuntur Abb. ibi. num. 21. Præposit.
nu. 19. Alexander de Neuo. §. quantus. nu. 26.
idem tenet Glossa cap. ad reprimendam. verb.
suspēdat, de offic. ordinar. & ibi Abb. nu. 6. Anton.
cap. lator. num. 8. de sent. & re iud. vbi Abb. nu.
10. Imola nu. 7. in initio, & vers. item videtur,
Alexand. de Neuo. nu. 10. & 11. Felin. num. 4.
de declaratione 3. & nu. 5. de declaratione 4.
Idem Abb. c. sua. num. 7. de appellat. & ibi
Decius ampliatione 4. nu. 16. in noua editione.
Idem Imola Clem. 1. num. 1. de sentent. & re iud.
Francus. c. venerabilibus. §. porro. nu. 2. de sent. ex comm. in 6. Couarr.
4. decret. 2. p. c. 8. §. 12. vers. sententiā verò.
Et hanc doctrinam colligunt hi Doctores
ex Hostiensis. c. tenor, in fin. de sentent. & re
iudic. vbi ait sententiam matrimonij non
transire in rem iudicatam quoad veritatē,
bene tamen quoad subtilitatem.

Secundò intellige, quauis non omnino
transeat in rem iudicatam, transire tamen
quoad hoc, vt nō indiffereniatim eam im-
pugnare volens audiatur, & oportet allegare
aliquam verisimile iniustitiæ causam, quæ
iure optimo iudicem ad id credendum
ducit: ne in infinitum pars contraueniens
audiatur. Quippè valde absurdum esset, vt
passim, & indiffereniatim audiretur contra-
ueniens sententiæ lapsa appellandi ter-
mino, vel bis confirmatæ. Quare iniustitiæ
causæ impugnationis cognitio præmittenda
est à iudice, vt pars cōtraueniens audiatur.
Atq; ita docent Innocens. cap. tenor. num. vnico,
ad medium, de sentent. & re iudic. & ibi
Hostiens. statim in principio, Ioann. Andr. nu. 1.
in fine. Anton. nu. 11. Cardin. nu. vnico.
vers. oppono ad hoc. Bald. nu. 1. Anchar. nu. 4.
Imola nu. 7. in fine. Abbas. cap. fraternitatis. num. 21.
de frigid. & ibi Præposit. nu. 19. Alexander de Neuo. §. quantus.
nu. 26. idem Abb. cap. fin. in fin. de clā. dest. despons. & ibi Alexander de Neuo sine.
Idem Abb. cap. lator. nu. 11. de sentent. & re iudic.
vbi Cardin. fin. Alexand. de Neuo. nu. 11. Felin. nu. 6.
de declaratione 5. Quare iudex debet præmittere summariā cau-

sa cognitionem, non citato aduersario, & ea
apparenti iusta audiri debet volens im-
pugnare sententiam: secus non. Sic docent
Innocens. Hostiens. Ioann. Andr. Anton. An-
char. Bald. Imola, Felinus eisdem locis.
Cardin. d. cap. tenor. nu. vnico. vers. oppo-
no ad hoc, & vers. quæro circa. Et in dubio
an causa iusta sit, audiri debet. Quod animæ
periculum vertatur. Iuxta cap. cum speciali. §. fin. vers. excessu quoq; dubic,
de appellat. Sic Hostiens. d. cap. tenor. nu. 2.
Ioann. Andr. nu. 11. fin. Anton. nu. 11. An-
char. num. 4. Cardin. nu. vnico. vers. quæro
circa, qui bene subdit, si non præmissa ta-
li cognitione iudex audiat petentem sententiam
reuocari, non posse aduersariū opponere, nec
appellare: sed posse puniri iudicem à super-
iudice: autq; posse etiam dici, in tegrum esse
aduersario opponere, & appel-
lare.

Hinc deducitur primò, certa regula præ-
scribi minimè posse, quoties audiendus sit,
volens prædictam sententiam impugnare:
sed id arbitrio iudicis committendum, attē-
ta causa, quæ coram eo allegatur. Sic Abb.
c. lator. num. 11. de sentent. & re iud. & ibi
Alexand. de Neuo. nu. 11. Felin. nu. 6. de
declaratione 5.

Secundò deducitur, præsumi pro sentē-
tia, ac processus iniustitia, quando ab ea intra
legitimum tempus non est appellatum, do-
nec eius iniustitia constiterit. Quare eius
iniustitiam alleganti incumbit onus probandi.
Ita Innocens. c. bonæ. el. 1. de elect. num. 8.
Archid. 2. q. 6. in summa nu. 3. 104. Andr. cap. lator. num. 3. de sent. & re iud. & ibi
Anton. ad finem, Abb. num. 3. & 11. Imola nu. 3. & 7.
vers. item transiit. Alexand. de Neuo. nu. 3. & 11.
Couarr. alios allegans. 4. decret. 2. p. c. 8. §. 12. nu. 12. vers. ex
quibus constat.

Tertiò deducitur, vt hæc sententiā res-
cindatur, oportere condemnatum vti noua
querela, nouoq; libello, in quo petat eā
causam coniugalem semel iam definitam
iterum ad iudicium deduci: & sententiam
reuocari ratione erroris detecti. Nā quoad
innotantiam causæ trāsijt in rem iudicatam.
Vt constat ex cap. ex literis, ad finem, de in-
tegrum restit. ibi: *Et ad audientiam restituimus eam pro matrimonio postulantem.* vbi
non dicit textus, contra sententiam restituimus;
de qua eam nunquam transierit in rem iudicatam,
quantum ad veritatem, sed ait: *Ad audientiam restituimus,* id est, vt perinde audiatur,
sicut poterat audiri ante sententiam.

Et

Et ita docent Hostien. eo cap. ex literis num. 13. Abb. cap. lator num. 12. de sent. & re iud. & ibi Alex. de Neuo num. 12. Felinus num. 8. declaratione 7. Henricus num. 2. Imola nu. 7. & cap. confanguinei, in fine, eodem tit. Couar. 4. decr. 2. p. cap. 8. §. 12. num. 12. vers. secundò.

9. Quartò deducitur, hanc nouam querelam minimè proponi posse à subditis suffraganei coram Archiepiscopo, vt potè, qui inter eos solum est iudex in causa appellationis, & non per viam querelæ. Vt est textus expressus cap. 1. de officio legati, & cap. pastoralis, in principio, de offic. ordin. & cap. venerabilibus, in principio, de sent. excom. in 6. Quamobrem querela hæc proponenda est coram eo iudice, qui adiri potest per simplicem querelam. Sic Abbas cap. ad reprimendam num. 6. de offic. ordin. & cap. lator num. 10. de sent. & re iud. vbi Felinus nu. 4. declaratione 3. Alexander de Neuo num. 10. & cap. confanguinei num. 16. eodem tit. Couar. 4. decr. 2. p. cap. 8. §. 12. num. 12. vers. tertio. Hic autem iudex, qui per viam querelæ adiri potest, est ipsemet, qui primam sententiã tulerat. Sic Couar. ibi. Pontifex etiam, vel eius legatus vt habetur cap. 1. de offic. legati. Et docet Alex. de Neuo. d. cap. lator num. 10.

10. Nec potest in hac causa etiam principaliter deducta Archiepiscopus adiri: quantum aduersus priorem sententiã opponatur eam nullam fuisse. Quia cum à sententiã minimè appellatum sit, aditur per solã querelã viam: in quo casu Archiepiscopus non esse iudicem competentem inter suffraganei subditos, probauimus num. precedenti. Sic Francus cap. dilecto quæ 27. de appellat. Felinus cap. in literis, in fine, de offic. delegat. & ibi Decius ad finem. Couar. 4. decr. 2. p. c. 8. §. 12. num. 12. vers. quarto. Quantum ad Abb. d. cap. in literis. nu. penultimo, & num. finali, aliter distinguitur cum Bartolo. l. si expressim. num. 14. de appellat. sic enim distinguit. Quando causa nullitatis sententiæ non principaliter, sed incidetèr allegatur; vt si quis petat iterum pronuciari sententiã, & deducit nullitatem incidenter, tunc non potest adiri superior. Quod est verissimum. Quia causa nunquam deducitur ad superiorem, nisi per appellacione, vel aliud remediũ qui uolens. Aut deducitur nullitas sententiæ principaliter: quia, nimirum, directè petitur sententiã pronuciari nullam: & tunc

ait Abbas cum Bartolo, posse adiri eum iudicem, qui sententiã tulit, vel superiorem. Ex quo infert Abbas, posse adiri Archiepiscopum, quando sententiã lata est ab Episcopo suffraganeo. Sed (vt bene aduertunt Doctores citati,) non est verum posse tunc adiri Archiepiscopum. Nec Bartolus loquutus est de Archiepiscopo, qui limitatam iurisdictionem habet in causis suffraganei, nempe, ad cognoscendum per solã appellacionem: sed intelligitur Bart. de eo superiore, qui potest etiam per viam querelæ adiri: qualis est legatus cap. 1. de offic. legati.

Teritò intellige sententiã matrimonij non transire in rem iudicatam, quoad ipsum coniugium: secus quoad expensas quarum succubens condemnatus fuit per eam sententiã, à qua non est appellatum. Nec enim restituentur reclamanti postea, ac docenti eorore sententiæ. Et ratio est aperta, sententiã enim matrimonij idèd non transit in rem iudicatam, ne foueretur peccatum, sublinendo matrimonium irritum, aut dissoluendo validum. (vt num. 1. diximus.) Quæ ratio in expensarum condemnatione cessat: & idèd sortitur naturã aliarum sententiarum, quæ in rem iudicatam transeunt. Sic Felinus cap. lator num. 10. in declaratione 9. de sentent. & re iud. & tenent in simili, nempe, in excommunicationis sententiã, quæ, in hoc par est sententiã coniugali, cum neutra in rem iudicatam transeat, Ioannes Andr. cap. venerabilibus, paulò post principium verb. querimonia, de sent. excom. in 6. & ibi Anchar. in principio, notabili 3. num. 9. Dominicus, §. porro nu. 5. vers. quero de qua querimonia. Francus eodem §. num. 2. notabili 5. Anton. cap. confanguinei, ad finem, de sentent. & re iudic. & ibi Abbas num. 9. Alexander de Neuo num. 16. Imola ad finem. Idem Abb. cap. ad reprimendam num. 7. de offic. ordin. Et hoc est quod dixere Hostien. eo cap. confanguinei, in fine, & ibi Card. sine, sententiã has transire in rem iudicatam quoad utilitatem priuatam, sed eus quoad publicam.

12. Quartò intellige, non transire in rem iudicatam respectu coniugum, ad transire respectu tertij contra matrimonium agentis, & ita si quidam tertius opposuit impedimentum, & succubuit, sententiã contra ipsum lata, à qua non appellauit legitimo tempore, ita transit in rem iudicatam, vt nemo deinceps audiatur volēs id impedi-

mentum

mentum proponere. Quòd actio popularis vno agente confirmetur. l. cum, qui §. in popularibus. ff. de iureiur. Ita Goffredus cap. finali, de clandest. desponsat. At hæc limitatio displicet omnino: quia ea re tenta foueretur peccatum, sublinèdo matrimonium irritum. Et ita eam impugnat. Hostienus cap. confanguinei nu. 3. de sent. & re iud. Anton. eo cap. finali num. 2. r. q. 7. & ibi Abb. sine, Alexander de Neuo sine. Præpos. num. 4. sine. Felinus cap. lator num. 13. declaratione 11. de sentent. & re iud.

13. Quintò intellige, non transire in rem iudicatam, quando ex illius sententiã obseruantia nutritur peccatum, nec consensu partis vtriusq; potest cessare culpa. Vt si lata sit contra legitimum matrimonium, declarans id esse irritum: aut in fauorem matrimonij cum impedimento dirimenti ini. ti. At transire in rem iudicatam, quando consensu vtriusq; potest cessare culpa, & matrimonium constare. Vt si litigetur an aliquod fuerit legitimum matrimonium, allegante altero metum, vel conditionem seruitatis alterius coniugis à se ignoratam, succubuit hic, & sententiã pronuciatum est, valuisse coniugium, si non appellauit legitimo tempore, transit in rem iudicatam, ita vt amplius ob eam rationem retrahari nequeat. Quia ex obseruatione illius sententiæ nulla confurgit culpa: possunt enim partes denuò consentire: & compellentur non delistere. Et (vt ait Couar. statim allegandus) est presumptio iuris, & de iure, aduersus quam nulla admittitur probatio, consensum nouum præstitum esse ab ipso per sententiã vtriusq; qui appellacionem omisit. Atq; ita hanc limitationem docet Glossa finalis cap. lator, de sentent. & re iudic. Et ibi Anton. num. 8. Baldus num. 3. Ioannes Andr. sine. Abbas, num. 9. Alexander de Neuo num. 8. Felinus num. 2. declaratione 1. Henricus nu. 3. & 4. idem Anton. cap. iuravit num. 6. de probat. & ibi Abbas num. 7. Decius in noua editione num. 8. conclus. 2. idem Abbas consil. 60. num. 2. volum. 2. Couar. 4. decr. 2. part. cap. 8. §. 12. nu. 19. vers. tertio. Quare hinc constat sententiã in sponsalibus de futuro latam transire in rem iudicatam, quando ea dissoluntur probato aliquo impedimento, nec à sententiã appellatum est. Quia possunt partes sibi præiudicare non appellando. Cum etiam possint omni sententiã cessante, dissoluere sponsalia absq; aliquo

peccato. Secus si sententiã lata sit in fauorem sponsalium, non probato impedimento dirimenti matrimonium: ea enim non potest in rem iudicatam transire. Quia foueretur peccatum, & compellendo virtute illorum sponsalium ad matrimonium irritum inuendum. Atq; ita docent Anton. eo cap. iuravit num. 6. Abbas ibi num. 5. Decius in noua editione nu. 18. conclus. 2.

Hinc deducitur primò, non omninò esse veram doctrinam aliquorum, quos tacito nomine refert Felinus cap. lator num. 3. declaratione 2. de sentent. & re iudic. dicentium, sententiã in fauorem matrimonij latam transire in rem iudicatam. Quia cum non transire emanarit in matrimonij fauorem, non debet contra illud operari. I. quod fauore. C. de legibus. Sed bene Felinus ibi dicit hanc doctrinam tantum esse veram, quando is, qui matrimonium impugnat, non allegat impedimentum dirimens. Quia tunc possunt partes consensum nouum præstare in matrimonium: iuxta dicta num. precedenti. Secus si impedimentum dirimens allegaretur: tunc enim quantumuis in fauorem matrimonij emanarit sententiã, declarando id esse validum, nequit in rem iudicatam transire. Quòd peccatum foueretur: & quia ita est matrimonij fauor, irritum dissoluere, ac validum tueri. Et ita docent Hostien. eo cap. lator, in fine. Anton. cap. series, num. finali, de testib. & attestat. & ibi Abbas num. 5.

15. Secundò deducitur, transire sententiã matrimonij in rem iudicatam, quoties coniugis allegans esse irritum ratione impotentie alterius, non allegauit speciem impotentie, sed in genere impotentiam: & contra ipsum lato est sententiã, à qua non appellauit. Quòd in hoc casu cesset animæ periculum ratione cuius non transit: nam si nequeunt vt coniuges habitare ratione vere impotentie, possunt vt frater, & foror. e. consultationi, de frigid. & malef. Item quia succubens in hac generali petitione, non possit prolium dum allegare aliquam impotentiam speciem: vt possit, si solam speciem aliquam allegasset. Sicut docent Ioannes Andr. cap. finali num. 2. de frigid. & ibi Anton. num. 9. Abbas num. 4. Cardin. statim in principio. Anchar. num. 1. notabili 3. Alex. de Neuo num. 6. Præpos. nu. 1. Et ita in hoc casu transire in rem iudicatam, docent Abb. eo cap. finali. nu. 4. Alex. de Neuo ibi num. 7. limitans, nisi potenti immineret periculum incôntinentie:

X x tunc

tunc enim eod quod foveret peccatum, non transiret in rem iudicatam. Et Felinus cap. lator num. 2. declaratione 1. desent. & re iudic. ait in casu huius periculi, doctriam hanc esse dubiam, & forte dici posse, iudicem ex officio prouiduram. Verum nullo modo hae limitatio placet: & ita existimo sententiam hanc non transire in rem iudicatam: sed succumbentem, nec appellan- tem, posse postea probare speciem impo- tentiae: sicut allegans consanguinitatem, & sententia à qua non appellauit, condemna- tus, potest semper via querelae contra sen- tentiam reclamare, vt potè quae in rem iudicatam non transit. Ducor, quod in vtroq; casu foveret peccatum, cum declaretur validum matrimonium, quod consensu partium nequit valere, obstante impedi- mento dirimenti: & datur coniugibus fa- cultus ad adus coniugales; & si potens ad aliud transeat, dirimetur hoc posterius ma- trimonium: eum tamen validum sit. Nec

obstat eos posse sine peccato habitare, vt fratres. Tum quia Ecclesia non declarat eos vt fratres habitare, sed vt veros coniu- ges: cum tamen tales esse nequeant. Tum etiam, quia idem procedit, existente con- sanguinitate, aut quouis alio impedi- mento dirimenti: nunquam enim ex transi- to talis sententia in rem iudicatam foveretur peccatum. Cum semper possent absq; pec- cato habitare vt fratres, & soror. Et ita falsa esset decisio textuū afferentium sententia in causa coniugali non transire in rem iudicatam. Tandem, quia etiam allegata specie impotentiae, si allegans damnetur, nec ap- pellet: cum tamen vera esset impotentia, posset absq; culpa habitare tanquam frater cum sorore. Et tamen in hoc casu fatentur aduersarij sententiam non transire in rem iudicatam.

Tandem an sententia diuortij quoad tho- rum, & habitationem, transeat in rem iudicatam, dicemus lib. 10. disp. 9. à nu. 2. ad 4.

16

DISPUT. GENTESIMAPRIMA.

An dissoluto matrimonio ratione impotentiae vtriusvis coniugis, & comperto errore ex impotentis fornicatione, aut posterioris ma- trimonij consummatione, integrum sit potenti celebrare diuor- tium, ob eam copulam impotentis.

SVMMARYM.

Explicatur quadruplex casus disputandus. num. 1.
An coniuge reputato impotente, aut altero fornicanti post dissolutum iam matrimonium, quando comperto errore instauratur prius matrimonium, possit alteruter innocens ratione illius fornicationis, ab altero diuertere? proponitur ratio dubitandi. num. 2.
Ratione fornicationis admittit à coniuge reputato impotente, licet potenti innocenti diuortium. num. 3.
Si coniux potens dissoluto matrimonio fornicetur, nequit ab impotenti repellere, quando instauratur matrimonium. Et explicatur cap. gaudemus, in fine, de diuore. num. 4.
Fornicatio coniugis impotentis non compensatur fornicatione potentis. num. 5.
Improbatur opinio Soti dicentis frigidum separatum consummantem aliud matrimonium, posse diuertere à potenti fornicante. numero 6.
Refutatur Glossa afferens, si impotens, & po-

ten: aliud in eam matrimonium, dari compensationem. Et quid, si potens ante Ecclesiam sententiam ad alias nuptias transierit? num. 7.
An si vir ratione frigiditatis separatus, in eam, ac consummet aliud matrimonium, possit à potenti repellere ratione huius copulae? num. 8.
Quid, si mulier cōsilia fraudis fuerit, viri frigiditatem consentens? num. 9.
Quid, si vir dolo corrumpit? num. 10.
An separato ratione arctitudinis omnimoda foemina matrimonio, ac detecto errore, possit vir illam repellere, non tantum ratione fornicariae, sed etiam coniugalis cum alio viro cui nupserrat? Refertur quadam sententia. num. 11.
Proponitur sententia Authoris. num. 12.
Quid, si matrimonium ob solam impotentiam respectuam dissolutum sit: & vteruis coniux ad aliud transierit coniugium, id consummans, an liceat innocenti diuertere ratione copulae coniugalis alterius? num. 13. & ibi, quid si fornicatus est?

IN

IN hac disputatione quadruplex in- uoluatur casus discutiendus. Primus est, quando coniux reputatus impo- tens, vel potens fornicatus est. Secun- dus, quādo vir reputatus frigidus, & ideo separatus, ad alias nuptias transiens, eas consummat. Tertius, quando dissolutum est matrimonium ratione omnimoda arctitudinis foeminae, quae postea copula fornicaria, aut cōiugali ab alio cognita est? Vltimus, quando ratione impotentiae res- pectiuae, & alteruter aliud consumma- uit matrimonium, aut fornicationem ad- misit.

In primo ergo casu, quando dissoluto matrimonio ratione impotentiae coniugis falsò reputatus, alter ex illis fornicatus est: videtur nullum diuortio ratione fornicationis illius posse esse locum. Quod solum adulterium, vt potè quod coniugi innocenti in iuriam irrogat, sufficere diuortij an- sam praebet. At in hoc cessat adulterium: cum vterq; coniux optima fide ob Eccle- siae sententiam se solutum reputet. Nec obstat à fornicationis vitio eum non eximi. Quia iuste credens coniugem mortuū, & fornicans, non dat iustam diuortij cau- sam, eod quod à circumstantia adulterij liber sit (vt dicemus lib. 10. disp. 5. num. 12.) Quod idem in hoc casu militat.

At certissimum est, ratione fornicatio- nis admittit à coniuge illo praescripto impo- tencis sit, celebrare diuortium quoad tho- rum, & habitationem, quanuis errore prio- ris sententiae detecto restaurandum sit matri- monium quoad vinculum. Cōstat ex cap. fraternitatis, de frigid. & malef. vbi cum Pontifex decernat vxorem ratione arctitu- dinis praesumpta separaram, restituendam esse viro, detecta arctitudinis falsitate, sub- dit haec. Nisi se fornicario modo alij viro mis- euerit: vt primus vir praeterea fornicationis, eius consortium velit declinare. Atq; id fatetur vniuersi. Verfatut tamen non modica difficultas circa huius rationem. Nam val- de vrget obiectio n. praecedenti propo- sita. Quare Glossa eo cap. fraternitatis verb. fornicario, ab hac difficultate se expedit dicens, sicut ex futuro copulae euentu apparet retro fuisse matrimonium, sic ex eo apparere retro esse iniuriam irrogatam priori matrimonio. Eandem solutionem tradit Astensis 2. par. summae, lib. 8. tit. 37. art. 2. quæst. 1. Sed hanc solutionem meri- to improbat Anton. eo c. fraternitatis nu. 27.

Abb. nu. 20. Alex. de Neuo ibi. §. quannus num. 20. Quod licet ex futuro euentu retrotrahatur declaratio valoris prioris ma- trimonij, aequitas enim id poscit: aequitate destituta est retrotractio respectu in- ducendi delicti adulterij ad diuortium. At omnis fictio super aequitate fundatur. Ad- de veritatem matrimonij pendere ex po- tentiae veritate: veritatem autem adulterij ex matrimonij existimatione. At futurus copulae euentus potest declarare verā fuisse potentiam ad copulam, ac proinde praecedens matrimonium legitimum fuisse: nequit tamen declarare coniugem illum existimasse Ecclesiam deceptam esse, iudi- cando matrimonium irritum, ipsumq; pu- tasse esse validum, vt vel sic fornicans, sit adulterij reus. Quam obrem aliam tradunt solutionem, quam etiam amplectitur Brunellus de sponsal. conclus. 28. limitatione 6. num. 27. Quod fornicans dederit operam rei illicitae, atq; adeo omnis euentus etiam praeter inten- tionem sequutus sit ei imputandus: iuxta doctrinam Glossa cap. si verò, el. 2. verb. ignorauerit, de sent. excom. Ceteram hanc doctrinam reprobo lib. 9. disput. 32. num. 24. Praeterea, quia in materia irregularitatis ex casuali homicidio contingit, & si communis sententia praedictio in- nitens fundamento, sustineat homicidium praeter omne spem, & absq; culpa sequu- tum, imputari ad irregularitatem danti ope- rā rei illicitae. At verior id negat, nisi quan- do res illa illicita interdita est, eod quod sit periculosa. Quare nec placet haec solutio. Et ideo ratio huius decisionis est, quā ibidem significant Antonius, & Alexan- der de Neuo, nimirum, quod coniux ille impotens eod ipso quod copulam attenta- uit, quasi potestiam suam experiri volens, necessario cōsensum praestitit matrimonij iniuria, quae ex illius copulae cōsummatio- ne confugere poterat. Et illa enim veri- ficabatur prioris matrimonij valor, ac sub- inde adulterij iniuria.

Hinc deducitur, si coniux potens non- dum certior factus de falsitate impotentiae alterius coniugis per sententia à se separati fornicetur, non posse illum repellere ratione huius fornicationis, à coniuge existimato impotente, quando postea detecta impo- tentiae falsitate instauratur prius matrimo- nium: quāuis impotens sit in nocens: quia, nimirum, absq; copula falsitas impotentiae per incisionem deprehensa est. Ducor,

Xx 2 quod

quod ea copula nulla ratione fuerit adulterium, cum iuste se solum existimaret: nec ex copula à se habita colligatur instantur esse matrimonium: vt potè quod non ex vitio illius dissolutum est. At lib. 10. disput. 5. num. 12. dicam quoties fornicatio excusatur ab adulterij circumstantiis, non dari diuortij ratione eius. Et constat etiam ex cap. gaudemus, de diuort. in fine, vbi dicitur vxori dimissa per libellum repudij tempore infidelitatis, non posse obijci post conuersionem ad fidem, ad diuortium celebrandum, copulam coniugalem in alio matrimonio habitam, ad quod ea dimissa transit. Cuius rationem reddunt ibi Abbas num. 10. & Alexander. de Neuo ibi. 5. qui autem num. 4. quod cum infideles existimèt solum matrimonij vinculum per repudium, forma illa à culpa adulterij excusata sit. Sed obijcies, eodem cap. gaudemus, in fine, decidi posse huic dimissæ obijci fornicationem, ibi. *Nō tamē dimissor poterit obijcere fornicationem dimissæ, pro eo quod nupit alij post repudium: nisi alias fuerit fornicata.* At fornicatio illa valebat adulterij culpa, cum illa se iuste existimaret à vinculo prioris matrimonij solutam. Sed dic textum intelligi de fornicatione admittente ante repudij libellum. Nam admittit post non potest obijci: eo quod non fuerit verè adulterium.

Hinc rursus subinfertur, non obstante hac coniugis potentis fornicatione, integrum ei esse, repellere coniugem separatum ratione impotentis, reum fornicationis, seu copulæ coniugalis in alio matrimonio posteriùs inuito habitæ, casu quo num. 8. & 12. dicemus posse ratione huius copulæ celebrari diuortij. Ducor, quod non sint paria delicta: cum fornicatio coniugis impotentis præsumatur adulterium, iuxta num. 3. dicta. Delictum autem huius coniugis potētis est simplex fornicatio. Quare sicut hæc non præstat sufficientem diuortij causam, ita nec compenfat adulterium alterius coniugis. Quippe vt compensatio locum habeat, debet vtriusq; delictum sufficiens esse ad diuortium (vt probabo lib. 10. disput. 6. num. 3.) Et confirmatur, quia impotens adulterij iniuriam irrogauit potenti, fidemq; coniugij violauit. Coniux autem potens neutrum efficit: vt potè qui iuste se solum credidit. Tandem quia si coniux certior legitime factus de falso alterius coniugis obitu fornicaretur, sicut fornicatio hæc non est

iusta diuortij causa: (vt probabo lib. 10. disput. 5. num. 12.) ita nec fornicatione hac compenfaretur adulterij alterius coniugis, quominus ratione illius liceret coniugij existimanti alterum mortuum, diuortium celebrare.

Quare nulla ratione approbo quod tradit Sotus 4. d. 3. 4. quest. vnica, art. 2. conclusione 4. vbi ait coniugem ratione frigiditatis separatum, aliud matrimonium consummantem posse à coniuge potenti fornicante diuertere ratione huius fornicationis. Deficit enim in duobus. Prius est, quod impotens ille consummans aliud matrimonium, reus quoq; adulterij sit, iuxta num. 3. dicta. Atq; id eod nullum ius habet opponendi illud adulterium coniugi potenti: cum vtrunq; delictum, mutua compensatione abolendum esset. Iuxta ea quæ late disputabimus lib. 10. tota disput. 6. Posterius est, quod fornicatio illa coniugis potētis nullam adulterij rationem esse beat: ac proinde quantum impotens fuerit innocens, nulla esset iuxta diuertendi causa, iuxta nu. 4. dicta: nedom cum reus sit.

Nec similiter approbo quod tradit Glossa finalis cap. 2. 33. q. 1. vbi cum sit textus deciderit frigidum separatum ab vxore, & postmodum alias consummantem nuptias, restituendum esse vxori priori, ait id esse verum, si vterq; aliud inuito matrimonij: alias innocentem posse impotenti obijcere id adulterij, quoad thori separationem. Quare sentit compensari vtriusq; copulam. Sed hoc constat à veritate deficere. Id enim adulterium impotentis non compensatur fornicatione potentis, (vt probauit num. 5. nedom copula coniugali. Adde potentem bona fide alias celebrasse nuptias: cum pro se haberet sententiam dissolutionis priorum, nec ipsi interdixim esset transitu ad alias. Et ita colligitur ex Ioanne Andrea cap. 1. num. 16. de frigid. & malef. & ibi Præposito num. finali, vbi dicit non posse coniugi potenti opponi alterius matrimonij consummationem, quando autoritate Ecclesiæ dissolutum prioris matrimonij, ad aliud transit. Secus si ante Ecclesiæ sententiam: deficit enim iustus titulus: cum maiorem indaginem ea separatio, & transitus ad aliud matrimonium postularent.

Circa secundum casum, nimirum, quando vir ab alio matrimonio separatus ratione frigiditatis, aliud iniit id consummans, dicendum est licere vxori priori diuortium

ratione

ratione illius copulæ celebrare. Quod ea copula adulterina sit: vt num. 3. probauit, de fornicatione impotentis. Nam eadem est ratio: nec potuit ipsius ab adulterio matrimonium excusare. Cum nulla iusta ratione datus potuerit illud iniire: vt potè, qui ratione frigiditatis perpetuo dirimentis matrimonium, à priori separatus erat. Atq; ita docent Glossa cap. 1. verb. reparare, de frigid. & malef. & ibi Ioan. Andr. num. 7. Alexander de Neuo num. 9. sine. Præposit. num. vltimo Hostiensis summa, eodem tit. 5. qualiter & quando num. 10. Albericus in suo dictionario, litera D. verb. diuortium, pauld post principium. Ioannes de Triburgo in summa Confessorum, lib. 4. tit. 16. quest. 16. Astensis 2. par. summe, lib. 8. tit. 37. art. 1. pauld post principium. Supplementum Pisanæ verb. diuortium num. 2. & ibi Rosella num. 1. Sylu. quest. 18. num. 21. Gregor. Lopez. l. finali verb. d. fater tit. 8. par. 4. Antonius Cucus lib. 5. institutionum maiorum tit. 12. num. 264.

Temperatur hoc, nisi mulier conscia fraudis fuerit: quia, scilicet, fraudulenter facta est cum viro eius frigiditatem. Sic Glossa, Hostiensis. Abb. Alex. de Neuo, Albericus, Ioannes de Triburgo, Astensis, Supplementum Pisanæ, Rosella, Sylu. Gregor. Lopez, Antonius Cucus num. præcedenti allegati. Verum hoc non caret difficultate. Quia confessio illa vxoris fraudulenta, solum operata est vt vir ab ea separaretur. At iniusta coniugis expulsio non obstat quin expellenti liceat diuortium ratione adulterij ab expulso admitti celebrare. (vt dicemus lib. 10. disput. 5. num. 6. & 7.) At hoc non obstante, minimè recedendum est à communi, ac verissima limitatione posita. Dispar enim est ratio, quia cum in hac expulsione non consenserit expellens dissolutioni vinculi matrimonij, nequaquam censetur iniuriam adulterij postea admitti condonare: & ideo potest illam obijcere ad diuortium celebrandum. At coniux dolose faciens impotentis coniugis vt dissoluatur matrimonij vinculum, cum dissolutioni conuictus esset, temere, ac remittere quodcumq; adulterium postea admissum, atq; illud reputare quasi à persona matrimonij vincula soluta perpetrata: ac proinde iure caret illud obijciendi. Sicuti eo eaereret, cõcedens coniugi licentiam adulterandi. Vt dicemus lib. 10. disput. 5. num. 3. & sequentibus.

Secundò temperant aliqui, nisi frigidus ipse ad aliud matrimonium transiens dolo caruerit. Quod adulterium sine dolo esse nequeat. Sic Glossa, Abb. Alex. de Neuo, Gregor. Lopez nu. 8. allegati. Henriquez lib. 12. de matrim. cap. 7. in commento finali. Sed licet verissima sit limitatio in se: me quidem lateat qualiter vir dolo carere valeat. Cum ratione frigiditatis perpetua matrimonium dissolutum sit: isq; sententia declaratus sit matrimonio in posterum ineundo ineptus.

Circa tertium casum, nimirum, quando ratione arctitudinis femine omnimodè matrimonium est dissolutum: constat ex dictis num. 3. posse instaurato postmodum matrimonio, eam feminam repelli à viro, ratione fornicationis postea admittæ. At difficultas grauis est, an possit repellari ratione copulæ coniugalis habitæ cum viro cui pupit post prioris matrimonij dissolutionem? Ansam dubitanti maximam præbet textus cap. fraternitatis, de frigid. & malef. vbi post quã Innoc. III. deciderit muliere separata ratione arctitudinis, & postea fornicanti, instaurandam esse matrimonium quoad vinculum, permisso tamen diuortio illius fornicationis femine, subdit hæc. *Si postea in conspectu Ecclesiæ nupit memorato G. quãdiu arctitudo iste dubitatis erat, præsumi non debet quod fornicaretur cum illo. Sed animo non debet cum illo aliquatenus remanere.* Vbi clarè textus consistere videtur id discrimen inter copulam fornicariam, & coniugalem huius femine, vt ratione illius liceat diuortij: secus ratione huius. Quidam sic exponunt, vt priusquam illa decretalis eaderet in lucem, non liceret diuortium ratione illius copulæ coniugalis. Quod femina illa arctitudo potuerit ignorare, matrimonium prius legitime dissolutum posse restitui. Cum res illa nondum esset per Ecclesiam decisa: ac proinde iusta excusante ignorantia, delicto tribuenda non erat ea copula coniugalis. At hodie licitum est diuortium ratione illius. Non enim potest excusari, postquam hæc decretalis promulgata est. Ita sentiunt Innoc. eo cap. fraternitatis nu. 9. & 7. Hostiensis num. 6. 10. & in Anton. num. 27. Præposit. num. 11. notabili 9. Alexan. de Neuo ibi 5. quantum num. 23. Albericus in suo dictionario, litera I. verb. impedimentum, impedimento 15. Supplementum Pisanæ verb. impedimentum, impedimento 15. num. 10. Et ita explicant, animo id est, post illam

decretalem editam. Sed Abbas eodem cap. fraternitatis nu. 20. & Brunellus de Sponsalibus, conclus. 28. limitatione 6. num. 27. explicant, *ammodo*, id est, post primum coitum: atq; ita sentiant primum coitum conjugalem huic feminæ obijci minimè posse ad diuortium: secus de sequentibus. Quia etiam hodie licetæ femina hæc ad secundas nuptias transit: cum præsumere possit se alteri viro apta fore: ac proinde primus coitus culpæ tribui nequit. At habito primo coitu debet cognoscere prius matrimonium valuisse, ac sententiam ex falsâ arditudinis præsumptione latam. Quare postea cum illo viro concubens, tanquam adulterij rea iustam diuortij causam præbet. Et non concedi diuortium ratione illius copulæ conjugalis, fatentur Glossa eo cap. fraternitatis verb. fornicario, & Asten sis 2. par. summa, lib. 8. tit. 37. art. 2. quaestio. 1.

12. Ceterum fateor me neutram expositionem capere posse. Quòd textus eo cap. fraternitatis de femina omninò arcta loquatur. Vt fatetur ibi Alex. de Neuo. §. quauis num. 23. & constat ex matronarum declaratione ibi proposita, ibi. *Que tandem in fide sua tibi afferere constanter, quòd eadem nunquam poterat esse mater, aut coniux, tanquam cui naturalitè decet instrumentum.* Si ergo arcta omninò erat, non video cur non dicendum sit, ratione illius copulæ conjugalis posse virum diuortium petere. Sicut num. 8. probauit frigidum consummantem aliud matrimonium, iustam diuortij causam præbere. Cum in utroq; casu eadem prorsus militet ratio. Quippe tam inepta est illa ad matrimonium, quam hic: & neuter iustam transeundi ad alias nuptias causam habere potuit: eò quòd impotentia absoluta, ac perpetua, corâ Ecclesia legitime probata viriq; obstat, & confessio propria, quæ impotentes falsi sunt. Quare existimo mulierem ratione omnimodè arditudinis à viro separatam posse à viro repelli quoad cohabitationem ratione copulæ habitæ cù posteriori, cui nupsit. Sicut nu. 8. de viro frigido diximus, nisi vir fraudis fuerit cõseus, aut ipsa dolo caruerit. Vt de viro frigido limitauimus nu. 9. & 10. Solam superest exponere verba ex cap. fraternitatis, de frig. de sumpta, que nu. præcedenti retuli, ac valde huic doctrinæ obstant.

Sed ea sic intelligo. Textus hac distinctione vitur. Aut mulier arcta à priori viro separata, ac posteriori nupta, emiserat post separationem à priori votum castitatis sollempne: & tunc neutrum matrimonium est firmum. Non prius, quia tanquam non verè consummatum, est professione superuenienti dissolutum. Non posterus: eò quòd contra votum sollempne præcedens castitatis est initium. Aut solo simplici castitatis voto se ligarat, & tunc si constat eam cum aliquo fornicatam, potest prior vir ratione fornicationis eam repellere: si autem de copula non constat, sed de solo matrimonio posteriori initio, quamdiu hic articulus copulæ cum posteriori viro est sub dubio, non præsumitur ex solo matrimonio copula, vt sic restaretur prius matrimonij: obstat enim arditudo absoluta ipsius femine legitime probata in priori iudicio, ac sententia confirmata. Sed *ammodo non debet cum illo aliquatenus remanere.* Id est, absq; alia indagine, vel mora (id enim importat *ammodo*, id est, de se luego): est separanda à posteriori matrimonio ea femina. Quia statim constat id esse irritum. Nam si non est arcta, valet prius matrimonium, & sic non posterus: si vero sit arcta, neutrum. Iuxta ea, quæ diximus de omninò frigido, disput. 99. num. 6. & 7. de muliere omninò arcta, ibi num. 18.

13. In vltimo casu, nempe, quando matrimonium ob solam impotentiam respectiuam, separatam est: dicendum est, neutrum posse obijcere alteri fornicationem, aut alterius matrimonij consummationem, ad diuortium celebrandum, quando postea detecto errore prioris sententiæ instauratur prius matrimonium. De copula conjugali constat. Quia iusto titulo ad aliud matrimonium transit: cum in eo euentu vtriq; facultas aliud inuendi concedatur. Vt diximus disput. 93. num. 37. De copula autem fornicaria similiter constat, quòd vterq; iusta ratione se solutum existimabit, ac proinde fornicans minimè fuerit adulterij reus: nec ex ea copula veritas prioris matrimonij constabat. Cum neuter declaratus sit omninò impotens, sed respectu illius. Quare dicendum est de hoc, sicut nu. 4. diximus de coniuge potenti fornicante post prioris matrimonij dissolutionem. Quia eadem prorsus militat ratio. Vt probauit

DISPUT. CENTESIMASECUNDA.

Vtrum impotentia perpetua superueniens matrimonio id dirimat: eius ve vltum impediat?

SUMMARIUM.

Impotentia superueniens matrimonio confisumato, id non dirimat. num. 1.

Quid, si ratio superueniat? Refertur opinio. num. 2.

Propositur sententia auctoritatis: & explicatur eam esse causam vt Pontifex dispenseret in eo matrimonio rato. num. 3.

Sarist argumentis. num. 4.

An impotentia coeundi superuenienti matrimonio liceat copula, & tactus, quando semen extra fundatur? Remissive num. 5.

Quid, si vir factus post matrimonium eunuchus, vel valde senex, coere possit: eam tamen non seminet? Refertur opinio. num. 6.

Propositur sententia auctoritatis. num. 7.

An quando femina nequit viuum feruere, possit petere debitum: ac teneatur reddere? num. 8.

An quando femina nequit absq; propria vitæ discrimine parere, teneatur reddere debitum? num. 9.

An possit tunc petere, & reddere? Refertur opinio. num. 10.

Explicatur sententia auctoritatis. num. 11.

An quando mulier nupta, nullatenus probare potest in foro externo impotentiam viri, ac cum illo experta est viriennis, possit petere, & reddere? num. 12.

1. Quando matrimonium est consummatum, nemo potest in dubium reuocare, an per superuenientem impotentiam cassetur.

2. Quòd res certissima sit, matrimonium fidelium sola morte naturali dissolui posse, quando consummatum est. Vt lib. 2. disput. 13. num. 2. & num. 11. probauimus.

At difficultas est, quando superuenit matrimonium nondum consummatum. Quare in re aliqui censent id dirimi per impotentiam superuenientem. Ducuntur primò ex cap. quod proposuisti 31. q. 7. quod est ex Gregorio III. vbi concessit cuidam licentiam migrandi ad aliud matrimonium, propter impotentiam perpetuam vxoris prioris superuenientem. Secundo, quia non minus requiritur ad conseruationem rei, quam ad eius essentiam. At matrimonij essentia consistere nequit, si à principio adit per-

petua coeundi impotentia. Nec ergo conseruari poterit, si illo initio superueniat. Tertio, quia obligatio ad reddendū debitū semper comitatur matrimonij tanquam illius passio. Cessante ergo hac obligatione ob impotentiam superuenientem, cassabitur matrimonij essentia: vt potè quæ absq; propria passione subsistere non valet. Tadem, quia Alex. III. c. ex literis, de frigid. & melef. fecit potestatem alterius matrimonij inuendi, cuidam cuius vxor ante consummationem reddita fuit copulæ inepta. Et ita huius sententiæ sunt Gratianus 33. quæst. 1. in summa, ad finem. Albericus in suo dictionario, litera l. verb. impedimentum, impedimento 15. Iacob. Sprenger in mallo masculicorum 1. par. q. 8. ad finem. Alex. Carerius lib. 5. de Sponsalibus cap. 18. Et Rubion 4. d. 34. quæst. 2. dicit non esse certum oppositum, sed tantum probabile: vnde hanc quoq; sententiam probabilem existimat.

Ceterum verissima sententia est, ne matrimonium ratum dirimi per quancunq; impotentiam superuenientem. Quod probatur ex cap. hi qui 32. quæst. 7. quod est ex Nicolao Pontifice, vbi generaliter dicitur ob nullam impotentiam superuenientem matrimonium cassari. Et D. Aug. lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 32. & refertur cap. si vxorem 32. quæst. 5. affirmat retinendam esse vxorem antea ductam, non obstante quocunq; corporis incommodo superuenienti. Ergo intelligit etiam impotentiam: cum ita vniuersaliter loquatur. Deinde, quòd recentissima sententia sit, matrimonium ratum fidelium per solam professionem certissimè dissoluit aut probabiliter per dispensationem Pontificiam. Et idè hanc partem sustinent ex Theologis D. Bonauen. 4. d. 34. art. 2. q. 2. Et ibi Scotus quæst. vnicæ, columna 2. Ricardus art. 2. quæst. 1. & art. 3. quæst. 1. Maioris quæst. 1. ad finem. Supplementum Gabrielis quæst. vnicæ, art. 2. corollario 2. quod infert ex 1. propositione. Palud. 4. d. 27. quæst. 3. art. vltimo conclus. 3. num. 27. D. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 12. §. 2. Abulensis cap. 1. q. 1. Matth. quæst. 90. in fine corporis. Bassolis 4. d. 34. quæst. vnicæ, art. 1. & ibi

Almain. quaest. vnica. Nicolaus de Orbellis. quaest. vnica. Sotus. q. vnica. art. 2. col. 4. verbi. quid autem. Borrillong. quaest. vnica. art. 2. Palacios disputat. 1. col. 5. Celsia quaest. 1. post 2. conclusionem. Oandus disputat. vnica. propositione 8. Nicolaus de Niffa super 4. sententiarum; tractatu 6. p. 3. de matrimonio. quaest. 6. conclus. 2. Martinus de Ledesma 2. part. 4. quaest. 60. art. 1. col. 2. verbi. sed dubium est. Veracruz. 1. p. specul. art. 38. conclus. 2. Angles floribus 1. p. vbi de matrim. quaest. 8. art. 1. dubio 1. concl. 2. Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 16. num. 7. & lib. 12. cap. 8. nu. 3. Toledo lib. 7. summa. cap. 1. 2. num. 4. Valentia 4. part. disput. 10. quaest. 5. puncto 3. vbi de impotentia. verbi. dixi autem. Petrus de Ledesma de matrim. q. 58. art. 1. in dubio quodam. quod mouet circa solutionem ad 6. Canejo summa Sacram. vbi de matrim. c. 5. nu. 31. Bartholo. Ledesma de matrim. dubio 48. conclus. 4. Manuel. 1. tomo summa 2. editione. cap. 235. nu. 2. ad finem. Viualdus candelabro Sacram. 1. p. vbi de matrim. num. 236. Vega. 2. tomo summa. cap. 34. casu 107. & 112. Et ex Iuniperitis. Goffredus summa. tit. de frigid. & malef. num. 4. Anton. c. 2. nu. 6. eo dem tit. & ibi Alexan. de Neuo sine. Praepos. ad finem. Abbas. c. ex literis. nu. 3. eodem tit. & ibi Anchar. sine. Alexan. de Neuo. nu. 2. & dicit Abbas & Alexan. de Neuo Glossam ibi. verb. contraxit. relatum ad textum. sentire idem. Brunellus de sponfalibus. concl. 28. limitat. 5. nu. 21. Alsenis. 2. p. summa. lib. 8. tit. 26. art. vnico. q. 1. & tit. 27. artic. vnico. q. 1. & tit. 29. art. vnico. q. 1. Lex regia 4. fin. tit. 8. p. 4. & ibi Gregor. Lopez. verb. non se desfaze. Angelus verb. matrimonium. 3. impedimento 16. num. 2. Syluest. verb. matrimonium. 8. quaest. 16. dicto 8. Armilla. verb. matrimonium. num. 48. Tabiena. verb. impedimentum. impedimento 12. in fin. Gaeta. esp. ad limina. 30. quaest. 1. §. 4. q. 118. nu. 329. & quaest. 234. nu. 537. Martenzo lib. 5. Recopil. tit. 1. rubrica. glossa 1. num. 192. Lancelotus Institutio iuris canonici. lib. 2. tit. de iuroribus. §. item si quis ignarus. verb. ignarus. At esset iusta causa. vt Pontifex in eo matrimonio rato dispensaret. si multum timeretur de incontinentia alterius coniugis potentis. Vt bene docent Abbas dicta. cap. ex literis. num. 3. & ibi Alex. de Neuo. num. 2. Brunellus. Angelus. Lancelotus proximè allegati.

Ad argumenta num. 2. proposita respó-

detur. Ad primū. varias illius textus expositiones tradidi hoc lib. 7. disput. 80. num. vltimo. Ad secundū. dic multa esse necessaria ad rei essentiam. quæ ad conferationem minimè desiderantur. Ad tertium. dic obligationem reddendi debiti non semper comitari matrimonium. sed initio. Vt constat. si postea communi cōsensu vterq; coniux profiteatur. vel alter reus sit adulterij. Ad vltimum dic cum Glossa ibi. verb. contraxit. loqui textum quando impotentia præcessit matrimonium. Et constat ex illis verbis: *si mulier illa vitium illud à natura contraxit.*

Circa alteram disputationis partem vrgentior est difficultas. qualiter liceat vsus matrimonij coniugatis. quādo eo legitimo initio superuenit impotentia? Et quidem quadruplex genus impotentia superuenire potest. de quibus seorsum agendum est. Primū genus est. impotentia coeundi. quia in eam ægritudinem post matrimonium incidit vir. vt nequeat vas penetrare. præ imbecillitate sua. aut præ feminae ægritudine. quæ matrimonio superuenit: aut quod illa semen recipere nequeat. Et de hac quæstione late dicemus lib. 9. disput. 17. à nu. 20. vsque in finem. vbi dicemus quando liceat copula. & quando rãsus.

Secundum impotentia genus est. quādo est impotentia sola veri feminis effundendi. Vt si matrimonio inito vir vtroque testiculo orbetur. ita vt coire queat: tunc enim nõ est capax veri feminis emittendi. (vt probauit disp. 92. num. 17.) Et videtur tunc non licere copulam. Quodd femina verum semen emittit. idque debito generationis sine frustratur. desiciente virili femine. Et confirmatur. quia quando vir nullo modo potest intra vas feminare. sed extra. illicitus est coitus. eod quod vitale semē extra vas effusum fraudetur contra naturā debito generationis sine. Cū ergo idem contingat in nostro casu in femine femineo. erit eadem ratione illicita ea copula. Quippe vtrumq; semen ad generationem natura ordinauit. Et ideo huius sententia videtur Anton. cap. 2. nu. 6. de frig. & malef. verbi. nunquid autem. & ibi Praepos. num. 5. & Alexan. de Neuo in fine. vbi adiunt. quando post matrimonium vir castratur. illud non dissoluit. sed teneri vxorem. quoad alia obsequia. Sed forte ibi Doctores loquuntur. quando penitus virilia abscissa sunt. Et tenet Petrus de Ledesma de matrim. quaest. 58. art. 1. dubio 4. quod

mouet

mouet circa solutionem ad 4. dubij principalis. in solutione ad vitium.

Verū existimo culpa vacare. siue petat. siue reddat. Quod virile iare suo vtatur vacans adui coniugali. quem matrimonium permittit. Semen autem verum nõ emittit contingit per accidens. Sicut si apertè cōstaret viro præ morbo semē esse corruptū. vel sterile. vel copula sit propè tempus paritatis. in quo nõ est possibilis generatio. Adde senibus decrepitis iam ad generandum impotentibus à nullo negari vsum coniugij. si coire valeant: saluaturq; quia obtinetur finis matrimonij secundarius. nēpe. ardorem concupiscentiaē sedare. Nõ ergo obstat defectus veri feminis ad generandum apti. vt ob id neganda sit copula verò matrimonio coniunctis. Neq; est simile de copula extra vas. Quod ea non sit cōiugalis. nec iure matrimonij innitur: qualis est habitata intra vas. Et ita tenet Toledo lib. 7. summa. c. 12. nu. 4. loquens de facto eunucho post matrimonium iunctis. Idem tenet loquens de senibus. qui validè cōtraxerunt in senectute. nec iam possunt semen emittere. Gaeta. c. ad limina. 30. q. 1. §. 4. q. 234. nu. 539. Vnde tunc vterq; poterit petere. & alter reddere tenebitur. Quia petit alter ius suum. quo orbatus non est.

Tertium impotentia genus est. quando femina experientia diuicit se nequire prolem viuam edere. (vt his diebus de hoc consultus sum. Cuidam enim feminae nuptas laterale. vulgo cadera. ita contrafacta est. vt factum mortuū semper pareret. nec spes erat fore. vt posset viuam.) Et videtur tunc nec petere. nec reddere licere. quod concipiendi periculo exponatur. idque sit in detrimentū vitæ corporalis. & spiritualis prolis. Ad consultis viris peritissimis visum est. licere his coniugatis petere. & reddere. Quod idem mihi placet. Ducor. q. præter intentionem. & per accidens mors illa foetus accidat. coniugibus suo iure vitæ vitibus: nec teneantur id prolis damnantur. cum tanto detrimento. ac est coniugatos perperud ab vsu coniugij abstinere cum maximo incontinentia vtriusque periculo. Deinde. quoniam melius est putare sic esse cum originali culpa. & carentia visionis Dei. quàm omnino non esse. Vt notat D. Thom. 1. 2. quaest. 83. art. 1. ad 5. & colligitur ex D. August. lib. 5. contra Iulianum capit. 8. Et ratio est. quia originalis culpa est peccatū habituale: At eligibilis est. existere in rerum natura cum peccato

habituali. quàm omnino non existere: etenim licet si homini detur optio. potius debeat eligere mortem. & annihilationem. quàm peccatum actuale etiam leuissimū. si tamen iam cōmissum sit. & reuelaret Deus se nolle id remittere. quādiu homo existet. adhuc melius faceret eligendo existentiam. quàm annihilationem. Quia supposita Dei voluntate. ille homo nec teneretur. nec posset euitare id peccatū habituale: atq; ita modo nil Deo exorsum facit. id autem quod semel fecit nõ teneretur iā delere. siquidem non potest: at ob id quod iā non est in eius potestate. nõ deberet se priuare maximo bono naturali. quod est esse. At femina hæc non teneretur reddere. Quia nõ modicè ex morte foetus in vtero. ac difficultate partus sibi periculū imminet. In quo euentu dicemus nu. sequenti eā nõ teneri reddere. id enim detrimentū ab ea obligatione ipsam eximit: quāuis possit iure suo cedens reddere. & petere: ac vir teneatur illi petenti reddere. Cū non habeat iustam denegandi causam. Quāuis probabile sit non teneri. vt dicemus nu. 11.

Vltimum impotentia genus est. quādo femina nequit parere absq; propria vitæ periculo grauium quo euentu manifestum est iuxta dicta nu. præcedenti in fine. mulierem non teneri reddere. Atque ita docet Ledesma 2. par. 4. q. 60. art. 1. col. 5. verbi. sed circa hæc est dubium. Bartholomæus à Ledesma de matrim. dubio 48. conclus. 2. Petrus de Ledesma de matrim. q. 58. art. 1. ad finem. Manuel 1. tomo summa 2. editione. cap. 235. num. 6.

Sed dubium est. an petere. & reddere liceat? Petrus de Ledesma. & Manuel. num. præcedenti allegati id negant. dicentes esse mortale reddere. Quod dominum propria vitæ non habeat. vt illi integrum sit tanto eam periculo exponere.

At mihi probabilis est. vtrumq; licere. Magnū enim esset detrimentū. si semper coniugata illa deberet se à coitu abstinere. cum non immodico propriae continentia. & alterius cōiugis discrimine. Quare vt id detrimentū vitæ. potest iure optimo vitam periculo exponere: eod vel maxime. quod nec id periculum ex parte certū sit: nec futura etiam conceptio. ex qua periculum id imminet. certa sit. Deinde. quia cum morbus est diuturnus. potest coniux proprio periculo cedere. ad vitandum maximum incontinentia periculum. quod ex vsu coniugalis perpetua priuatione vtriusque

con-

coniugi imminet. Vt probabo in simili, nimirum, quando coniux lepra infectus est, lib. 9. disput. 24. nu. 23. & vt in simili ibi dicemus, tenetur vir huic vxori petenti reddere. Quauis probabile sit eum non teneri reddere. Cùm sententia num. præcedenti relata dicens nec licere petere, nec reddere, sit probabilis.

Tandem, quando mulier certa est de viri impotentia, eod quod triennium cohabitationis iure præscriptum ad experiendum

transierit: nec illa probare potest, vir enim negat: nec potest constare per inspectionem, quod ipsa virgo non sit, & vir integra membra habeat, neuter potest petere, nec reddere. Quod constat id matrimonium esse irritum. Atq; ita aperte docent D. Tho. 4. d. 34. in fine, in expositione literæ. vers. sed si vir, & ibi Albertus Magnus art. 7. ad vltimum, vbi dicunt eam feminam debere sibi cõsulere iacendo seorsum, ne viro impotenti periculũ incontinentiam imminet.

DISPUT. CENTESIMATERTIA.

Quando dubitatur, an impotentia præcesserit, an subsequuta sit matrimonium: vel præmissõ examine, an sit vera impotentia, & an perpetua, vel temporalis: an præsumatur eam subsequutam, vel nõ esse veram, nec perpetuam, vt vel sic matrimonium valeat:

SVMMARIVM.

Refertur triplex sententia. num. 1. 2. & 3. Quando impotentia est naturalis, præsumitur in dubio eam præcessisse. num. 2.

Quando est accidentalis, vt ex maleficio, vel abfessione, præsumitur in dubio eam subsequutam, nec soluitur coniugium. nu. 5.

Quid, si breui tempore post matrimonium contracta est impotentia. nu. 6.

Quid, si dubitetur an impotentia sit naturalis, an accidentalis? num. 7.

Quid, quando non est dubium circa impotentiam antecessorem, sed circa eius veritatem, ac perpetuitatem, vel matrimonij consummationem? num. 8.

Quid, quando vir post matrimonium reperitur potens ad corruptam, sed dubitatur, an ad virginem se deũ in potens sit: & quid, quando dubitatur an semina ratione arduinis separata, cognitaq; ab alio, sit quoque a primo viro cognoscibilis, ac sit id matrimonium validum: & quid, quando dubitatur, an femina illa possit absque viro periculo reddi per incisionem apta, viro cui nupsit? num. 9.

An stante dubio impotentie viri, aut articulo dicitur: licet matrimonium inire: & eo in to vlt. num. 10.

Satisfit ar. v. vlt. num. 11.

Variae sunt in hac disputatione sententiae. Prima sustinet in dubio an impotentia præcesserit matrimonium, & proinde illud sit irritum, præsumi eam præcessisse, ac matrimo-

nium esse dissolendum tanquam irritum. Ducuntur partis huius patroni, per cap. finale, de frigid. & malef. vbi nec allegatio, nec probatio facta est super prioritate temporis, sed probato maleficio, ac præsumpto perpetuo per triennij experientiam, separatum est matrimonium. Quasi statim præsumat maleficio præcessisse. Nã aliã id probandum erat, vt matrimonij ratione illius dissolueretur. Secundo, quia textus cap. licet ex quadam, in fine, de testib. & at testat. ex quo Doctores communiter colligunt, in dubio fauendum esse valori matrimonij, procedit quando matrimonium potest suum consequi finem, nimirum, bonum prolis, aut fornicationis vitiationem. Quod minime contingit, vbi coniux est impotens, sed vtroq; sine fructu. Potius ergo tunc aduersus matrimonij valorem præsumendum est in dubio impotentiam præcessisse. Tertio, quia iudicatio impotentiam præcessisse, fauetur proli, & continentia. Sic enim coniux potens non manebit eo matrimonio ligatus, ac integrũ illi erit ad alias nuptias transire, quod prolem suscipiat, atq; incontinentiam periculum vitet. Et confirmatur, quia præsumptio in alicuius fauorem induta locum non habet, quoties in eius damnum redundaret. Sicut in dubio quispiam præsumitur bonus: at si ex præsumptione bonitatis actus redundaret damnum illum agentis, cessat præsumptio. Ne quod fauore alicuius indutum est, in eius odium retorqueatur. Cõtra regulam,

quod

quod ob gratiam, de regulis iuris, in 6. Vt cum Bartolo, Felino, & alijs per ipsam relatis, tradit Nauar. commentario 4. de regular. num. 72. vers. non obstat. Cùm ergo labor hic matrimonij, vt in dubio pro eius valore præsumatur, inductus sit fauore prolis, cessare debet quoties in prolis damnum is matrimonij valor eedit: vt contingit quoties de antecessione impotentiam dubitatur. Tandem, quia quandoq; ex præsentibus sumitur præsumptio circa præteritum: vt testatur Glossa finalis cap. scribam, de præsumpt. Ergo ex impotentia in præsentibus reperta, potest iure optimo deduci præsumptio, extitisse eam tempore præterito ante matrimonij initium. Et ita loquentes de omni impotentia, atq; etiam accidentali maleficio, sustinent hanc sententiam. Ex Iurisperitis, Hostien. summa tit. de frigid. & maleficio, quæ impotentia num. 7. vers. quid dicitur, & cap. fraternitatis num. 4. verb. præter diuinum, eodem tit. Et ibi Ioann. Andr. num. 23. Abb. num. 16. Anchar. nu. 16. vers. querit si est dubium. Præpos. num. 13. Henricus num. 7. 8. & 9. Alexander de Neuo ibi §. quantus num. 7. 8. & 9. Idem Abb. cap. finalis num. 3. eodem tit. Et ibi Anton. num. 8. Præpos. num. 3. paulo post principium, & num. 6. Astenfis 2. par. summa, lib. 8. tit. 29. art. vnicò quæst. 2. Brunellus de Sponfal. conclus. 28. limitatione 5. nu. 2. Rosella verb. diuortium num. 4. Angelus verb. matrimonium 3. impedimento 16. num. vltimo. Sylu. verb. matrimonium 8. quæst. 16. dicto 9. Decisio capella Tholosana 381. num. 5. Montaluuus. l. 4. fine, & l. 7. ad finem tit. 8. par. 4. Gregor. Lopez. l. 5. verb. de tal embargo tit. 8. par. 4. Malcardus de probationibus, conclusioe 816. num. 19. & conclus. 1027. num. 3. Gaeta cap. ad limina 30. quæst. 1. §. 4. quæst. 237. num. 542. Matienzo lib. 5. Recopil. tit. 1. rubrica, glossa r. num. 204. Et ex Theologis, Ricardus 4. d. 34. art. 3. quæst. 1. ad 2. Abulensis cap. 19. Matth. quæst. 90. in fine corporis. Petrus de Soto lectione 5. de matrim. pagina 2. vers. his autem proximum, in fine. Veracruz 1. par. Speculi, art. 40. conclusioe 3. Henriquez lib. 12. de matrim. cap. 8. num. 3. Emmanuel Sa in summa verb. matrimonium, vbi de impedimentis dirimentibus, in impedimento impotentiam, in fine. Et idem explicant Alexander de Neuo, Henriquez, & Henriquez ibidem, quando ex morbo, aut in cisione amissit viri virilitas, aut vtrumq; re-

sticulum, atq; dubium est an ea impotentia præcesserit matrimonium: in eo enim dubio aiunt præsumi impotentiam fuisse ante matrimonium, & ita hoc esse irritum ratione illius. Temperat autem hanc sententiam Alex. de Neuo eo cap. fraternitatis. §. quantus num. 9. nisi vir asserat se vxorem cognouisse, nec ipsa per aspectum se virginem probare possit, tunc enim ait potius credi viro, atq; præsumi maleficio post matrimonium accidisse.

Secunda sententia sustinet, in dubio non præsumi impotentiam fuisse ante coniugium, quando alter coniux petit separari matrimonium ratione impotentiam. Cùm enim sit a dor, atq; intentionem suam fundet in impotentia præcedenti matrimonium, vt id dissoluat, non præsumitur eam præcessisse, sed ipsi onas probandi incumbit. Secus si vterq; coniux dissolutioni assensum præstaret, vel si alter petat aliquam in vxorem: tunc enim præsumitur impotentiam præcessisse. Sic Anton. cap. fraternitatis num. 20. de frigid.

Tertia sententia ait, impotentiam accidentalem, qualis est maleficio, aut si virilitas abfissa sint, non præsumi præcessisse, atq; ita in hoc dubio validum esse matrimonium. Ita sustinent Glossa 33. q. 1. in summa verb. quod autem, in fine. Goffredus in summa tit. de frigid. & malef. num. 8. fine. Cardinalis Florentinus, quem refert Alex. de Neuo cap. laudabilem, in fine, de frigid. & malef. Anchar. cap. 1. fine, & cap. ex literis, in fine, eodem tit. Monaldus summa, tractatu de matrim. tit. de impotentia accidentali, statim in principio. Romanus rubrica. ff. soluto matrim. num. 12. vers. limit. istud. Supplementum Gabriellis 4. d. 34. q. vnica. art. 2. post corollarium 1. quod infert ex r. conclusioe vers. quid iuris.

Prima tamen conclusio sit. Quando impotentia est naturalis, in dubio præsumitur eam præcessisse, & sic matrimonium esse nullum. Ducor, quod naturalia sint perpetua: & qualitate que a natura est, semper inesse præsumatur. Vt probat Menochius de præsumptione lib. 1. præsumptione 14. nume. 3. Potest etiam probari rationibus, & auctoritate Doctõrum primæ sententiam numer. relata. Nec credo Doctores tertie sententiam relatae numer. præcedenti huic contradicere: quia loquuntur de impotentia accidentali, dum dicunt præsumi eam sequutam post matrimonium. Et ita Ancharan. & Cardinalis

Floren-